



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 5. Religio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

procedebant, quas in laxiores braccas malè concinnabant: Hæc *Ovidius*. De Dacis hoc quoque dictum nonnulli credunt à *Silio*,

*At gente in Scythicâ suffixa cadavera truncis
Lenta dies sepelit.*

Quidam inter Getas, ut ait *Posidonius* apud *Strabonem*, ab vxoribus omnino abstinebant & dicebantur *Κηραι*, ideóque colebantur ut facti, eos *Πλίσις* *Iosephus* vocat, & cum suis *Essenis* componit. Putant aliqui apud *Strabonem*, idcirco ab *Homero* dictos *ἄλκίς*, quia dimidia tantum ex parte viuerent *ἡμιτελῆ βίον*. Sed hoc conuellere nititur *Strabo*, & ex *Menandro* docet nonnullos eorum non fuisse contentos decem vxoribus: immo ex eo quod *Religiosi* dicuntur, non caruisse vxoribus, quod ineptâ ratione probat.

N V M. 5. Religio.

ZAMOLXIS quidam Geta *Pythagoræ* famulus fuit: is reuersus in patriam acceptissimus fuit Genti, atque proceribus, quod ostentorum cælestium euenta præmonstraret. Quare & Regi suasit ut se eligeret collegam regni, ut ei denunciaret quæ diis placuissent. Ita primus est Sacerdos creatus *Zamolxis*, eius Dei qui apud Getas colitur, & deinceps Sacerdotes Regi à consiliis fuerunt. *Strabo* lib. 7.

N V M. 6. Politia.

SVB Orole Rege cum aduersus *Bastarnas* malè pugnauissent, in ultionem segnitæ capturi somnum capita, pedum loco, ponere coacti sunt, & suis vxoribus famulari, donec acceptam ignominiam delerent, *Iustin.* lib. 32. Ab *Alexandro* bello appetiti, & eorum vrbs incensa, *Arrianus*. Sub *Alexandri* successoribus *Dromichares*, vel *Dromichetes* *Lysimachum* viuum cepit, & ei comonstrata Gentis paupertate hospitium præbuit, monuitque ne tales inuaderet, sed amicos haberet, *Strabo* lib. 7. Paulò antequam à Romanis inuaderentur Regem habuere *Bærebistam*, qui & vicinis, adeóque Romanis terrori fuit; tantæque auctoritatis, ut cum iussisset vites excindi, & suos abstinere vino, ei subditi paruerint. Vfus est autem operâ *Cenci*, cuiusdam *Ægyptij* præstigiatoris, qui & pro Deo tantum non habitus est. *Bærebistâ* autem in seditione cæso, distrahi cœperunt *Daci*; quare cum antea ducenta